

E L E G I A.

Effigies prima sunt h̄ic statione duorum,

Hoc anno sceptrum qui tenuere, Ducum.

Inde Professorum simulachra sequuntur eorum,

Quos penes est alias regula, iusq; Scholæ.

Cunctorum retuli non ficto carmine yitas,

Apposuiq; suis è regione locis.

Sum ratus ingratum tibi non fore, candide Lector,

Tantorumq; Ducum facta q; scire Virūm.

Nec nouares; sequor h̄ic aliarum exempla Scholarum;

Quæ Proceres etiam sic coluere suos.

Sed, scio, distendit rabidi sua pectora Momi:

Omnia qui critico rodere dente solent.

Externus, dicent, describeret ista Poëta:

Quæ laus ex alijs, verior illa venit.

Quæ laus ex alijs, laus imperfectior illa

Sæpè venit: verè, quæ mihi nota, cano.

Nec cano, ceu virtus tantorum digna virorum:

Maius id, & longi carminis esset opus.

Sed breuiter nudis attingo versibus, æui

Quæ cuiq; à primi tempore gesta sui.

Figmentis nullis h̄ic versicoloribus vtor:

Historicam vero sed sequor ore fidem.

Sollicitus reddor; quòd strictius omnia dixi,

Quæ longâ fuerant commemoranda morā.

Ne quis adulari me fingeret; omnia tantum

Libaui, properæ, parciùs, instar apis.

Rem magnam aggredior, quamuis leuis esse videtur;

Tantorum laudes ausus adire virūm.

Quorum fama illas, & gloria venit in oras,

Phæbus ybi falsas linquit, & intrat aquas.

Quis